



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI  
TRES ||**

**Schottus, Franciscus**

**Antverpiae, 1600**

De obeliscis, columnis, & aquæductibus Romanis. VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

## DE OBELICIS ROMANIS,

COLUMNIS ET AQUAE-DUCTIBVS.

## CAP. VII.

## OBELISCI

Nuper Xisti v. incredibili sumptu , opera Dominici Fontanae, ex agro Nouocomensi, erecti, instaurati, translatique, ac sanctae Cruci, reiectis veterum Diis & idolis, dedicati, ac re-ferati.

1. OBELISCVS Tiberij Cæsaris, nunc in area Diui Petri, in Vaticano S. Cruci consecratus, anno CIO. IO. LXXXVI. Pontificatus anno II.

2. Augusti Cæsaris ex Aegypto aduectus è via S. Rochi translatus ad S. Mariam maiorem: anno insequenti Pontific. S. Cruce quoque imposita, consecratoq; Obelisco, qui sacras Aegyptiorum notas præfert.

3. Soli sacer, è Circo maximo, vbi iacebat, ad S. Ioannem Lateranũ translatus atque erectus, S. Cruce itidem imposita: qui olim sedibus auulsus, per Nilum missus Alexandriam est ab Augusto, vt Romam exornaret; quam lateritiam à se repertam, relinquere se marmoream gloriabatur. Litteras seu Notas habet Hieroglyphicas insculptas. Pont. an. III.

4. Soli quoque ab Aug. in Circo maximo dicatus, è ruinis erutus, Cruci que à Xisto dedicatus non Soli, anno Pontif. III. Christi 1589. translatusque incredibili sumptu ad portam Flaminiam ante templum B. Virginis Populi. Sunt & alij, sed his minores in Vrbe Obelisci.

OBELISCI ROMAM EX  
AEGYPTO ALLATI.

Plures olim Obeliscos Romæ quàm hodie spectantur, fuisse ex antiquitatum Scriptoribus  
appa-

apparet. Multos quidem Plinius commemorat, qui Vespasiani temporibus floruit, plures Ammianus Marcellinus, qui Iuliani Imperatoris æqualis fuit, sed plurimos P. Victor in regionibus Urbis Romæ numerat, duos inquam & quadraginta minores. De his legendus Bartholomæus Marlianus, Andreas Fulvius, & alij: quique nostra memoria de *Obeliscis* scripserunt, Petrus Angelus Bargæus, Petrus Galefinus, & Etrusca lingua Michael Mercatus. Duo Romam obelisci Augusto regnante deuecti, cum primum ipse Aegyptum, deuicto ad Actium M. Antonio, atque intercepta Cleopatra, in Senatus populiq; Rom. ius ditionemq; rede-gisset. Idem P. Victor VII. numerat obeliscos qui post in Urbem aduecti sunt. Eorum duo in Circo maximo: vnus in campo Martio, duo in Mausoleo Augusti: vnus in insula Tiberina, & vnus in Vaticano Caij & Neronis Principum erat: de quo Plinius lib. XVII. cap. 40. & in Claudio Suetonius cap. 20.

Octauus in hortis Sallustianis fuit, qui ab æde S. Susannæ collis Quirinalis ad portam Collinam pertinebant, totamq; interiectam vallem complectebatur. Is, vt ferunt Lunæ erat consecratus, Aegyptiisq; notis inscriptus hodieq; spectatur.

Cæterum nauium inusitatae magnitudinis, quibus Romam ex Aegypto importati sint *Obelisci*, meminit duarum Plinius, vnus Ammianus, quæ trecentis remigibus ageretur. Nunc de iis potissimum *Obeliscis*, qui hieroglyphicis notati signis in Vrbe spectantur, dicam. Nam qui in Vaticano ad ædem S. Petri, alterq; ad templum B. Virginis maioris est, nullas notas præferunt.

1. Qui ad Diui Ioannis in Laterano spectatur imaginibus litteratis inscriptus, primum à  
Fl. Con.

Fl. Constantino Imp. Christianæ fidei vindice, sedibus euulsus suis, ex Aegypto per Nilum Alexandriam delatus, inde Constantinopolim, quæ tum noua Roma dicta, ibidē collocatus est: Post Constantinus eius F. Romam naui illa inu- sitatæ magnitudinis ( de qua iam ex Am- miano diximus trecentorum remigum fuisse) impositam per mare Romam transtulit, & in Circo maximo locauit. Sixtus verò v. Pont. Max. incredibili sumptu opera vsus Dominici Fontanæ architecti, humo effossam, instaura- tamque Cruci dominicæ, qui antea Soli esse sacer, dedicauit, posuitque Augusto loco ante ædem Lateranam S. Ioannis ( quæ olim Pon- tificum sedes fuit) anno Christi CIO. IO. XXC. VIII. Pontificatus verò IIII.

2. Alterum item *Obeliscum* via Flaminia ad ædem B. Mariæ Populi, vt nominant, popen- dum curauit, Cruce imposita, quem Augustus Cæsar, deuicta Aegypto, inde aduectum & Soli consecratum in Circo collocarat.

3. In hortis magni Ducis Etruriæ inscri- ptus *Obeliscus*, minor tamen, visitur, quem Tar- quinio Superbo regnante in campo Martio steterisse putant.

4. Alter item minor, *Capitolinus Obeliscus* in hortis Matthæorum Cælimontanis, quo do- natus à S. P. Q. R. Chriocus Matthæus, è Ca- pitolio transtulit, anno, ni fallor, 1582. sed in eius summo apice paucas insculptas imagines videas: Reliqui enim omnibus lateribus inscri- pti sunt.

5. Exiguus quoque *Obeliscus* apparet iuxta Societatis Iesu Collegium, è regione templi S. Maguti, quod quidam S. Bartholomæi esse dicunt.

6. Per magnum quoque videre est, Aegy- ptiacis plenum notis, in via Appia, supra S. Se- bastian.



stantinopoli Obeliscum erexit. Haud scio an  
Aegyptiacis notis inscriptum: quem se vidisse  
Pet. Bellonius fatetur: in quem libro IIII. An-  
thologiae Epigrammatum Graecorum Tit. εις  
κίονας, hoc Epigramma legitur:

Κίονα τετράπλευρον αείχθονι κείμενον ἄχθος.

Μοῦν Ἐπασῆσαι Θεοδοσίῳ βασιλεὺς  
Τολμήσας, Προκλῶπιπέχεκλετο καὶ πόσος ἔση  
Κίων, ἡελίαις ἐν τετραγώνῳ δύο.

Quod sic Latine reddas licet:

*Pondus hami aeternum, quadrata mole columnam*

*Theodosius Princeps munus ut erigere est*

*Ausus, mandavit Proclo, tantamq; columnam*

*Ter decima erectam luxq; secunda dedit:*

Et hæc de Obelisci in præsens viatori sugges-  
sisse sufficiat.

### COLVMNAE III.

Rostrata C. Duilij deuictis bello Punico  
Carthaginens. in Capitolio.

Traiani, quã B. Petro, & M. Antonini Impp.  
quam B. Paulo Sixtus v. dedicauit an. 1580.

Illam, ut est à Pet. Ciaconio suppleta, adii-  
cere placuit.

c. bilios.

c. bilios. m. f. col. aduorsom. cartacinienseis.  
 en. ficeliad. rem. cerens. ecest ANO S. COGNATOS.  
 popli. Romani. artifumad. obsedeone d.  
 EXEMIT. LECTIONEIS. cartacinienseis. omneis.  
 MAXIMOS QVE. MACISTRATOS. LUCAS.  
 bouebos. relicteis. NOVEM. CASTREIS.  
 EXFOCIONT. MACELAM. mœnitam. vrbem  
 PUCNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM.  
 MACESTRATOD. prospere. TEM. NAVEBOS.  
 MARID. CONSOL. PRIMOS. cœset.  
 resinecosque. CLASES QVE. NAVALES.  
 PRIMOS. ORNAVET. PARAVETQUE. diebos. LX.  
 CVM QVE. EIS. NAVEBOS. CLASIS.  
 POENICAS. OMNJS. paratasque fVMA S.  
 COPIAS. CARTAGINIENSIS. PRAESENTED.  
 maxumod. DICTATORE D. OLOROM. IN.  
 ALTOD. MARID. PUCNANDOD. vicet. XXI.  
 QVE. NAUEIS. CEPET. QVM. SOCIETIS.  
 SEPTESMRESMOMQUE. ducis. quinresmos QVE.  
 TRIRESMOS QVE. NAVETIS. XX. deprefet.  
 AUROM. CAPTOM. NVMEI. DDD DCC  
 arcem TOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI  
 CCCLXXX C  
 CRAUE. CAPTOM. AES. CCCLXXX CCCLXXX  
 CCCLXXX CCCLXXX CCCLXXX pondod.  
 triumpo QVE. NAVALE D. PRAEDA D.  
 POPLOM. Romanom. donauet. captiuos.  
 CARTACINIENSEIS. ince NVOS. Duxet. ante.  
 curom primosque. consol. de. ficel et s. claseque.  
 CARTACINIENSEOM. triompauet. earom. rerom  
 exco. s. p. q. r. ei. hanc. columnam. p.

AQVAE-

## AQUAE-DUCTVS.

Aquã Virginem Tiberius Cęsar induxit, Nicolaus v. Pont. instaurauit anno 1554. Pontif. VII. vt præfert inscripto.

FONTEM FELICEM de suo nomine ante Pontificatum Xystus v. trino gurgite in Urbem induxit. Alij Pontifices alias aquas fontesque, & aquæductus instaurarunt.

D V X V I Æ  
 QVATRIDVO LVSTRANDIS  
 ROM. VRBIS ANTI.

QVITATIBVS.

CAP VIII.

Ex Iac. Boissardi Vefuatini TOPOGRAPHIA V. Rom.

DIES PRIMVS.



VATICANO auspicator, in eorum potissimum gratiam, qui ex Hetruria Urbem ingrediuntur porta Vaticana, quę Castello S. Angeli adiacet. Hic *prata Quintij*, quę alij Pincij fuisse autumat, hodie, *A-prata*: locus est amcenissimus, quo iuuentus Romana ambulandolaxare animum solet.

Porta Aelia, vulgò Castelli, ducit ad Hadriani Imp. molem; quod sibi & Antoninis sepulcrum extruxerat, opus amplum, solidum, & latericium, sed nunc gradibus pertusum, vt commodè